



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Ivliis Cæsar Scaliger Carolo Sevino Svo, S. LXXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

*μνημονὸν αὐτὴν ἀναρτήσασθαι ἔστι καὶ γὰρ ἡγεῖται,
Valentinam nupsisse Iohanni Galeazio fratri
Barnabæ. non enim ea, sed eius mater Catharina
illi nupsit, qui erat patruelis eius.*

IULIVS CÆSAR SCALIGER

CAROLO SEVINO SVO, S.

LXXI.

CVM animaduertissem haud ita vrgenti
tabellarium, atq. speraueram, admo-
ui manus epigrammatis meis, vt & hinc
compertum haberes, nihil mihi antiquius
esse fide; tum quod verebar, ne si quid mihi
humanitus accidisset, dilaberentur in pla-
giariorum manus, si quid esset boni, quod
tuto vindicari posset, aut si quid pœniten-
dum offenderetur, desideraret meam li-
nam, tuumque iudicium, cuius mihi nunc
est copia. proinde ne committas vt temere
nimis edenda festinarim, cum id egi con-
sulto, vt emendata arbitrato tuo legeren-
tur. Ex millibus fere duobus aut amplius
lecta sunt, vtinam bona fide, id in ipsis cu-
rauimus vti Rallus vir doctus mentiretur,
aut mutaret iudicium, qui epigramma vl-
lum cultum negarat. Secundo loco, ver-
sum numerosum librari etiam seuerissima
aure

aure volui, id quod nostrates vni mihi peculiare inter amicos semper tribuebant. Tum orationem splendidam, nobilem, non vulgarem, non fucatam, non hiantem, non anxiam, plenam, rotundam, illustrem (verbis absit arrogantia) sed præter cætera id studui, vt materiæ omnes, nouis inuentionibus atque argutissimis, minusque expectatis concluderentur. nullum omnium hominum imitatus, præter meipsum, propter quod **NOVORVM EPIGRAMMATVM** me auctorem non pœniteat; ita sordidum illum & illiberalem taxandi morem, ab educatione mea semper alienum duxi: obscenas vero ineptias ne viro quidem dignas. Superest, mi **SEVINE**, vt te auctore quam pulcherrimis mundissimisque edantur notulis, si prius per te non steterit, quo minus edi mereantur: non ab re futurum mihi videtur, si & argumenta adscribas, aut seorsum singula seriatim, aut sua cuique, vti libebit. argutia enim obscurat initio sensum, quæ, vbi deprehensa est, tanto illustrior fit. Cæteros hymnos & elegias meas proximis literis mittam. Item rerum, verborum, rituum, & originum libros duodecim, quibus prima pars perficitur. alteram centum viginti libris perfectam mecum afferam,

R ; vt

262 . IVLII CÆSAR. SCAL.
vt publice absoluatur. Tertia nondum per-
fecta est. Item librum admirabilem de sim-
plicibus medicamentis cum erroribus, tam
antiquorum quam recentiorum. Vale,
Agenni xv. Cal. Februarii. M.D. XXXIII.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER

C A R O L O S E V I N O

amico præcipuo, S. LXXXII.

EXOLVO nunc fidem meam, optime
Seuine, Hymnos Iohanni Bapt. & Ro-
cho atque Sebast. ad te mitto, ea lege, vt
per te castigati, edantur, sed ita vt ne quid
limæ desideretur in editione ipsa. Puncta
vero tibi commendo, quorum rationem
adeo necessariam duco, vt & illustriorem
fieri orationem putem, non solum senten-
tias distingui. Ludouicam vero Sabaudiam,
præter cætera, vt quam diligentissime ex-
cudendam cures, etiam atque etiam rogo.
quanquam enim multos habeat rex poe-
tas optimos, tamen res ipsæ comparentur,
non auctorum nomina. Fidei virgini & mar-
tyri Agennensi hymnus, nondum mihi pe-
nitus probatur, sed alias persoluam. sicut
quatuor superiores, Deo patri, Deo filio,
Deo spiritui, vtriusque & ab utroque vni,
&